



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ  
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum  
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &  
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,  
plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Decreti declaratorii suspensionis incursæ, & contentæ in novissimis  
Decretis de celebrat. Missar. Form X.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

in quorum singula onera perpetua, & temporanea, in altero autem missas manuales distinctè, & diligenter adnotare, & singulo anno de adimplemento, & eleemosynis receptis, Superioribus rationem reddere teneantur.

Quod si, ad quos cura Tabellæ, capsæ eleemosynarum, & librorum respectivè pertinet, seu pertinere debet, suam operam minime navaverint, & Superiores tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respectivè casibus, Sæculares pœnam suspensionis incurrant, Regulares vero voce activa, & passiva, ac gradibus, & officio, quæ obtinent ipso

facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur (sunt verba præcisa Decreti relati in Bulla confirmatoria Innoc. XII. quam per extensum dedi tom. I. in Appendic. pag. 346.)

Hoc Decretum Ordinarii locorum, & Superiores Regularium debent in Ecclesiis, & Oratoriis publicis onera missarum habentibus, & recipientibus notificare; quodque ut illud impressum, vel scriptum in loco Sacristiæ patenti retineatur, decernere, & mandare: ne Ministri, Sacristæ, Priores, Rectores, & Guardiani, ignorantiam de eo allegare valeant. Quod si post notificationem, & mandatum per eos, ad quos spectat exequi curatum non fuerit, irremissibiliter absque alia monitione suspensos declarent modo sequenti.

### Visitatio Sacristiæ.

## FORMULA X.

**R**eperto quod N. Rector, & Superior d. Ecclesiæ non retinet ibi paratum librum juxta mandatum, & ordinem injunctum omnibus Ecclesiarum Superioribus vigore Ediæti generalis emanati sub die.... in quo libro adnotari possint, & debeant celebrationes missarum manualium, nec non eleemosynæ, quæ a fidelibus ad hunc effectum elargiuntur, contra formam Decretorum Sac. Congreg. Concilii de celebrat. miss. ab Innoc. Papa XII. anno 1697. approbatorum, d. D. N. Visitator, illum tanquam in pœnam ad. Decretorum incursum, à Divinis suspensum declaravit, &c.

### N. Visitationis Actuarius.

#### SUMMARIUM.

- 1 Episcopi, & alii Prælati majores suspensionem canonis, aut statuti non incurunt, nisi nominentur expressè, & num. 2.
- 2 Hoc privilegio gaudent etiam Cardinales.
- 3 Cardinales comprehenduntur in canone excommunicationem generaliter infligente.
- 4 Ordinarii negligentes exequi facere ea, quæ ipsis specialiter commissum, peccant peccato omissionis.

- 5 Delegans, tenetur de negligentia, & factio delegari.
- 6 Prælati Regularium, omittentes exercere ea, quæ pertinent ad eorum officium, peccant, & tenentur de omisissis, & commissis, & non solum de dolo, & lata culpa, imò, & de levi.
- 7 Episcopus non recognoscit adimplementum onerum missarum in Ecclesiis Regularium.
- 8 Regularis, si sit executor, sive fiduciarius Testamentarius, pro aliquo pio opere adimplendo, tenetur requi-



- quisitus, rationem reddere Episcopo, qui potest illum cogere etiam censuris.
- 20 Regulares commorantes in parvis Conventibus, qui requisita Decreti Innocent. X. Ut in parvis, non habent, plenarie subiicitur Episcopis.
- 21 Episcopus tamen illos visitando, procuracionem non recipit.
- 22 Verba -- pœnam suspensionis incurrant, in Decreto contenta sunt latæ sententiæ.
- 23 Regulares non exequentes, nec adimplentes Decreta novissima de celebratione missarum, an pœnas ibi comminatas eo ipso incurrant absque alia declaratoria, plenè examinatur, & nu. 14. 15. 16. 17. 18. & 19.
- Opinio Doctorum non excusat à pœna à lege lata.
- Superiores Regulares à pœna privationis vocis per sententiæ Pœnæ infligendam, non absolventur num. 18. & 19.

## ADNOTATIONES.

- 1 **E**CCLESiarum SUPERIORIBUS. Ex hac clausula sumitur occasio dubitandi, an sub illis verbis expressis, & contentis in Decreto relato ibi -- & Superiores tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum: compræhendantur Episcopi, & Generalis Regularium: adeò ut, & ipsi suspensionem latæ sententiæ ibi comminatum incurrant eo ipso, si rationem de adimplimento onerum missarum exigere à Ministris Ecclesiarum, seu Superioribus localibus neglexerint.
- 2 Et quoad Episcopos res videtur clara, quod non compræhendantur: quia Episcopi, & alii Prælati majores, scilicet Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, nè Pontificalis officii executio facilè impediatur, suspensionem, aut interdictum, sive juris, sive hominis virtute, cujuscunque Constitutionis, mandati, vel sententiæ, etiam Papalis; non incurrunt, nisi exprimentur, ut habetur in cap. quia pecculosum de sentent. excom. in 6. de quo

in præcedenti form. actum fuit, & in cap. si compromissarius §. Hujusmodi quoque pœna de elect. in 6. ubi gloss. verb. de jure, Sayr. de censur. lib. 4. cap. 12. nu. 1. & 2. ubi numer. 4. hoc privilegium extendit ad Cardinales, etiam si Episcopi non sint: compræhenduntur tamen, quo ad excommunicationem, & alias pœnas, sub canone generaliter eas infligente, ut ait Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 39. n. 256. Pœna caret tamen graviter peccato omissionis, si Decretum exequi, & observari negligerent, quia notabiliter deficerent in officio, & in re ipsis à Sac. Canonibus specialiter commissa, cap. tua nobis de testam. Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. de reform.

Quo verò ad Prælatos Regulares, & Ordinarios inferiores, qui tale privilegium non habent, si visitent per se ipsos, & negligant de his rationem exigere, non est dubitandum, quin hanc suspensionem incurrant: quia Decretum non est restrictum ad Superiores locales; sed omnes Superiores immediatos Ecclesiarum complectitur, & magis hos afficit, quam mediatos: si verò per delegatos visitent, & tunc videtur distinguendum. Aut enim delegatus visitat auctoritate sui officii, ut potè à Constitutionibus Ordinis instituitur: aut auctoritate Prælati Superioris: si prima auctoritate, & tunc cum Delegatus in illa re Superior existat, si negligens in hoc erit, ipse suspensus ab officio, & voce activa, & passiva evadet: si verò secunda auctoritate, tunc Prælati delegans, ex negligentia Delegati eisdem pœnis erit subnoxius, quia præponens tenetur de culpa, & facto præpositi, quando versatur circa opus, vel Ministerium, cui eum præposuit, & sibi imputare debet si imperitum, vel negligentem Visitatorem delegaverit, ut in terminis tenent Piasc. in prax. part. 2. cap. 4. artic. 1. de person. Judic. numer. 16. Gratian. disceptat. 677. numer. 24. & 25. Cardin. de Luc. de jurisd. disc. 100. num. 17. vers. secundo ob eandem, nam Prælati Regularium, si ea omittant exercere, quæ ad eorum officium sunt necessaria, ut putat visitare, & corrigere, peccant utique mortaliter, ut dicit gloss. in cap. ea que verb. reatu. de offic. Archid. & tenentur



tur de omissis, & commissis, si adeo, ut non solum teneatur de dolo, & lata culpa, sed etiam de levi quoad damnum animarum, testis est Donat. *prax. rer. regular. tom. 2. par. 1. tr. 9. de Pr. elat. qu. 9. nu. 1.*

8 *Contra formam Decretorum.* Secundum dubium hinc excitari potest nempe, an Episcopus non solum Ministros, & Rectores Ecclesiarum sibi subiectarum, Decreta supradicta non observantes, punire possit, & suspensos declarare, sed etiam negligentiam Superiorum Regularium supplendo, in Ecclesiis ipsis subiectis, adimplementum onerum missarum pro executione horum Decretorum recognoscere? Et videtur dicendum quod non, quia nec in his novissimis Decretis, nec alibi, datur Ordinario talis facultas, & ideo Regularium Ecclesiarum nec super hoc visitari possunt, licet si talis facultas daretur aliquando, utilis esset Testatoribus.

9 Advertendum tamen est, quod si aliquis particularis Religiosus, tanquam Executor Testamentarius, seu fiduciarius, ex officio illi commissio (& quod de licentia Superioris potest licite exequi, & exerceret) deberet aliquod opus pium, vel onus missarum adimplere, seu adimpleri facere, tunc eum Ordinarius posset compellere ad sibi rationem reddendam de executione, & adimplemento oneris injuncti, & punire quatenus se male gessisse inveniret, ut communiter tradunt Ricc. *in prax. par. 5. prax. execut. ultim. volunt. dub. 5. pag. mihi 21.* Barb. *de offic. Episc. alleg. 82. num. 34.* Gavant. *in manual. verb. Regularium jura n. 60.* Guazzin. *jun. ad defens. anim. lib. 2. def. 1. cap. 7. numer. 57.* Pirhing. *in jus can. lib. 1. tit. 31. numer. 112.* Frances. *de Eccles. cathed. capit. 25. numer. 120.* Amostaz. *de caus. piis part. 2. lib. 5. capit. 7. numer. 20.* Raynald. *obser. crimin. supplem. ad capit. 32. supplem. 4. numer. 30.* ubi quod propter hanc causam regulares possint etiam censuris constringi, & idem dicit Ricc. *in prax. in part. 2. resol. 210. limit. 18.* quod procedit etiam si Testator rationem ab eo exigi prohibuisset, ut probant alia DD. auctoritates, quas allegavi *par. 1. in Appendic.*

*ad constit. Gregor. XV. inscrutabili num. 3. pag. 308.*

Secundum advertendum, quod si agatur de legatis, & oneribus missarum adimplendis in Ecclesiis Conventuum Regularium, qui vigore Decreti Innoc. X. *Ut in parvis*, subjiciuntur jurisdictioni Ordinariorum: Episcopus non solum poterit, sed debet visitare, rationem exigere, & recognoscere, an haec Decreta observentur, quod si post monitionem, ut ea impleant, invenerit Regulares ibidem commorantes in executione deficere, illos tam tempore visitationis, quam extra, in poenas supradictas incurfos declarare, vel alio modo punire, suum officium erit, quia in hujusmodi Conventibus ejus jurisdictionis est omnimoda, & plenaria, & Regulares inhabitantes, tanquam vere subditi respiciendi, & gubernandi sunt, ut patet ex dicto Decreto, quod dedi unam declarationibus desuper emanatis *in par. 1. in Appendice pag. 311.* & advertunt quoque Crispin. *de visit. pastor. part. 1. §. 15. n. 27.* & *par. 2. §. 39. n. 1. §. 2. & §. 40. n. 9.* Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 9. c. 3. n. 22.* Non potest tamen Episcopus hos parvos Conventus visitando, aliquid accipere procurationis nomine, seu in pecunia, seu in victualibus, ut declaravit *Sacr. Congreg. super Statu Regular. 25. Junii 1665.* Papa approbante, cujus Decretum, per extensum refert Lantusch. *in theatr. regul. verb. Conventus num. 16.*

12 *Tanquam in poenam ad Decretorum incursum.* Quod poena suspensionis in supra relato Decreto contenta, sit latae sententiae non ambigitur, quia clausula, seu verba illa -- *poenam suspensionis incurant*, talis est naturae, ut docent Sayr. *de censur. lib. 1. cap. 11. nu. 8.* Sebast. Medic. *tom. 3. in summ. peccat. capital. tit. 9. quaest. 42. vers. vigesimo septimo*, & est communis opinio, ideoque in formula Decreti, contraveniens non suspenditur ab Ordinario, cum jam sit a lege suspensus, sed declaratur incurfus, quod Decretum, licet hic figuretur emanatum in Visitatione, illud poterit Ordinarius emanare alio quocunque tempore.

Sed



- 13 Sed hic jam quæritur, an Regulares negligentes observantiam, & executionem horum Decretorum, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, graduum, & officiorum ibi ipso facto comminatam, incurrant eo ipso absque alio Ministerio Judicis, & Sententia declaratoria? Passerin. de stat. bon. tom. 2. quæst. 187. art. 4. num. 1233. loquens de Decretis tempore Urbani VIII. emanatis, quæ eadem præcisam clausulam continent, dicit, quod hæc pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda absque alia declaratione, per delinquentem non incurratur, quantum ad executionem, & quod licitè remaneat possessor officiorum, & vocis, donec per sententiam declaretur commisisse, imò numer. seq. firmat, quod cum hæc pœna non sit reservata, Prælati Regulares in ea dispensare possunt, vigore Bullæ Pii V. la 132.
- 14 Bonaccin. magis moderatè, & consultius agens de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 2. n. 9. & 10. opinionem prædictam sic modificat -- observandum tamen est circa pœnas privationis officiorum, vocis activæ, & passivæ, & circa alias, pœnas, quæ ipso facto incurrunt sinè ulla sententia declaratoria, eum, qui in has pœnas ipso facto incidit, non teneri privare se officio, aut voce activæ, & passivæ, quoties hoc nequit facere sinè infamia, ratio est, quia jus ad propriam famam conservandam præponderat juri humano indidenti privationem officiorum, nec lex humana cum tam gravi damno videtur obligare, quamquam delinquens tenetur diligenter petere, & inquirere dispensationem: nè interrim officium quo privatus est, inique rezineat, & Bonacin. sequitur Guazzin. jun. ad defens. anim. lib. 2. def. 6. cap. 47. num. 13.
- 15 Amostaz. verò de caus. piis tom. 1. lib. 2. cap. 9. num. 70. tenet cum aliis ab eo ibi allegatis loquens in terminis Decretorum Urbani VIII. innovatorum, quod Regulares contravenientes, privationem vocis activæ, & passivæ, & officiorum incurrant eo ipso, ex quo in Decreto nulla requiratur sententia declaratoria criminis, & quod per illa verba -- ipso facto, ipso jure, incurratur pœna absque alia declaratione, ad quam excludendam, ideò adduntur in Decreto illa verba -- absque alia declaratione, & respondet contrariis, & hæc sententia turior est, & in praxi tenenda, quam sequitur Fagn. in c. quod à prædecessore num. 68. de Sebisimat.
- Et enim pœnæ privationis sunt in duplici differentia, aliæ, quæ non possunt executioni demandari absque hominis actione, & ad has pœnas ipso facto impositas incurrendas, requiritur sententia criminis declaratoria, nisi aliter constet de mente Legislatoris, volentis antè Judicis sententiam pœnam adimplerit, aliæ sunt pœnæ, quæ ad sui executionem, nullam hominis actionem requirunt, sed in abstinentia ab aliqua receptione, vel actione consistunt: quales sunt, incapacitas bonorum, inhabilitas ad matrimonium, vel ad petendum debitum conjugale, vel ad officium, vel Beneficium, vel ad suscipienda, vel administranda Sacramenta, inelegibilitas ad officium, privatio vocis activæ, & passivæ, & aliæ hujusmodi; & has incurri antè Judicis sententiam planum est, quia comparantur irregularitatibus, & censuris ipso jure latis, & statim commisso delicto conscientiam ligare perspicuum est, ut de communi docent Graff. dec. aur. par. 1. lib. 2. cap. 11. n. 54. Bonaccina loco supra citato num. 9.
- Et propterea sententia Passerini: videtur nimis laxa, & si admitteretur in praxi, eluderet profus Decretum, & Superiores Regulares, qui non mitius puniri debent, quam sæculare, redderet immunes à pœna, & segniores faceret in illo exequendo (quia nullus Judex adesset, qui prætensam declarationem criminis faceret) contra expressam, & tam solemniter declararam mentem Pontifici legislatoris, ideòque reiicienda, animadvertendo, quod jus vocis activæ, & passivæ, & quod habent Regulares ad Officia Religionis, non sunt bona propria Religiosi, sed proveniunt, & descendunt à Sede Apostolica, quæ eis illud concessit approbando Ordinem, & sic potest auferre, prout



prout sibi placet, maxime ex causa, unde dum vult expresse, quod hoc jus amittant ipso facto, & ipso iure, si hoc Decretum non impleant, absque alia criminis declaratione, censetur eos statim obligare voluisse in conscientia absque alio facto hominis, *Garc. de benef. par. 12. cap. 10. nu. 20. & 22. & alii supra relati.*

16 Caveant igitur Superiores Regulares, ne opinionis Passerini innixi, & forte etiam aliorum, sententiam commissi criminis declaratoriam expectantes, interim executionem, & observantiam Decreti negligant: quia opinio Doctoris, seu Doctorum, non excusat a censura, vel poena à lege lata, ut ex decis. *Mohed. 3. de sent. excom. probant Sperell. dec. 129. num. 28. Pignatell. consult. 189. nu. 87. tom. 9. præfertim quando Doctoris opinio, nullum solidum fundamentum probabilitatis habet, prout hic, sed sequantur opinionem veriorum, & tutiorem supra relatum pro serenitate conscientiarum, quam non hominis auctoritas, sed propria puritas tutam facit, ut canebat Dantes.*

*Conscienza n' assicura.*

*La buona compagnia, che l'Uom francheggia*

*Sotto l'Usbergo del sentir si pura.*

17 Minusque audiendus est Passerini in eo, quod autumat firmare, scilicet, quod cum poena Decretorum non sit reservata, possint Prælati Religionum; delinquentes, & transgressores in ea dispensare: nam ista opinio insubsistens est, & erronea: cum certum sit, quod inferior in lege Superioris, non dispensat, nec poenam relaxat, *Clem. ne romani de elect. & hoc maxime, quando inferior à Superiore legem ferente recipit potestatem, prout à Papa recipiunt omnes Prælati regulares, ut advertit gloss. in dict. clem. verb. inferiorem, Ricc. collect. 2588. Bonaccin. de legib. disput. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 17. vers. secunda sententia, Fagn. in cap. dilectus numer. 5. de tempor. ordin. Et si vera esset talis sententia, Regulares transgressores, & inob-*

servantes Decreta, fierent seigniores, violeretur auctoritas Apostolica, & ejus jurisdictio confunderetur, *Fagnan. ibid. n. 5. & Superiores regulares illam dissipando, Subditos ponerent in discrimine propriæ salutis, & privilegiorum prætextu, flagitiorum cresceret auctoritas, ut dicit gloss. in cap. Episcoporum verb. ingressiam de privileg. in 6. sic enim Apostolica Sedes aliena jura custodit, ut sua non minuat, sic honorem debitum dat, ut suum non tribuat alienis, ut ait Nicolaus Papa I. scribens Archiepisc. Rhemen. apud Bzov. hist. Eccles. ad annum 1097. n. 6.*

Nec obstat Constit. *Pii V. la 132. in 18* qua se fundat Passerini, quia ibi nulla alia Superioribus Ordinis Prædicatorum datur facultas, quam illa dispensandi cum propriis subditis in foro conscientiarum, super irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, prout Concilium Trident. sess. 24. capit. 6. concedit Episcopis: quod nihil commune habet cum privatione vocis activæ, & passivæ inflicta per sententiam Pontificis in puram poenam transgressionis Decretorum, quæ idem auferri non potest, nisi ab eo, qui illam imposuit, etiamsi nulla mentio fiat reservationis, prout docet Bonaccin. de censur. disput. 3. punct. ultim. num. 6. Cum enim non agatur de censuræ absolutione, sed de relaxatione poenæ in qua requiritur dispensatio, hæc ex sua natura censetur reservata, nisi inferiori explicitè concedatur, ut advertit Bonaccin. loco mox citato, & fuse probat Fagnan. in dict. cap. dilectus à num. 6. ad 18. de tempor. ordin. quia dispensatio, est res major, & difficilior, quàm absolutio, *Barb. in cap. cum illorum num. 4. de sent. excom.*

Quod tantum abest hoc Superioribus Regularium in his novissimis Decretis fuisse concessum, ut ipsimet si negligant executionem, eandem poenam incurrant eo ipso, etiamsi sint Generales, ut patet ibi -- caveant etiam omnes Regulares tum Subditi, tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, nè missarum celebratio, & omnium præmissorum Decretorum executio, quoquomodo

om-



emmittantur, & differantur, negligentur, seu pervertantur, alioquin poenam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, prorsus incurrant. Ex quibus effrænatis verbis planum redditur, quod sive attendatur dispositio Decretorum in prima parte jam supra in principio relata, sive in hac ultima, Regulares ea non exequentes, ipso jure afficiuntur poenis ibi expressis, & contentis,

absque alia delicti, seu ommissionis sententia declaratoria; in quibus Superiores dispensare non possunt. Quia sicuti Episcopi vigore d. cap. 6. Concilii Trid. officio privatos, non possunt reintegrare, ut notat Pellizar. de Monial. cap. 5. sect. 2. num. 28. vers. nec obstat.; ita nec minus hoc facere poterunt Prælati Regulares, quibus Pius V. in citata Bulla majorem facultatem non tribuit.



FOR-